

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 16. Jahrhunderts

**Disputatio Theologica || DE INDVL=||GENTIIS.|| JN ALMA
ACADEMIA ||
INGOLSTADIENSI DIE IVNII || M.D.XCV. publicè
proposita.|| RESPONDENTE
|| M.SIMONE SOM SOCIETATIS || IESV, ...**

Som, Simon

Ingolstadii, 1595

VD16 S 6988

Disputatio Theologica
DE INDVL=
GENTIIS.

IN ALMA ACADEMIA
INGOLSTADIENSI DIE IVNII
M. D. XCV. publicè proposita.

RESPONDENTE
M. SIMONE SOM SOCIETATIS
IESV, SS. Theologiæ studioso.



INGOLSTADII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
DAVIDIS SARTORII.



UBM
abgegeben



Theſes Theologicæ.
DE INDVLGEN-
TIIS.

THEſIS PRIMA.

Post remiſſam peccati culpam ſuperſeſſe nonnunquam pœnæ temporalis reatum, conſtat apud orthodoxos ſacræ Scripturæ & antiquitatis teſtimonio.

2. Quæ pœna vel in hac vel in altera vita, eſt exſoluenda. Et quidem primariò & per ſe ſecundum prouidentia diuinæ decretum, lui debet poſt hanc vitam in purgatorio, vbi pœna eiſdem ſpeciei eſt cum illa, quæ in æternum in inferno perſoluitur.

3. Fit autem hæc redemptio pœnæ temporalis virtute paſſionis ac meritorum Chriſti, quæ tamen merita homini non applicantur niſi per certa media diuinitus ad id ordinata; cuiuſmodi ſunt ſatisfactio propria, ſiue ea vltro ſuſcepta ſit, ſiue in Sacramento pœnitentiæ, poteſtate clauium impoſita: & ſatisfactio aliena, cum vnum Eccleſiæ membrum alteri ex charitate ſuam ſatisfactionem accommodat.

4. Satisfactio porrò aliorum Eccleſiæ membrorum prædeſſe poteſt aliis Eccleſiæ membris, non modò, vt vnum membrum eam alteri ex intentione applicat, ſed etiam quando Eccleſiæ præſules id faciunt, dum bonum commune Eccleſiæ ſingulis membris diſtribuunt.

5. Hinc iſtæ ſatisfactiones alienæ hoc modo per eos qui Eccleſiæ præſunt, applicatæ, medium quoque ſunt, quo fructus Chriſti meritorum, quod ad pœnæ remiſſionem attinet, ad homines deriuatur.

6. Et hoc quidem medium, quo pœnitentias aut omnino, aut ex parte ſaltem condonandi poteſtas continetur, ſi extra Sacramentum, præſulis auctoritate ritè adhibeatur, à D. Thoma, & Doctoribus Indulgentia appellatur.

7. Deſinitur autem communiter hoc pacto: Indulgentia Eccleſiaſtica eſt remiſſio pœnæ temporalis, iudicio diuino peccatis actualibus, poſt remiſſam culpam, debitæ, per applicationem ſuperabundantium ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum, facta extra pœnitentiæ Sacramentum, ab eo, qui ad hoc habet legitimam auctoritatem.

8. Cæterùm cum tria in vſu Indulgentiarum reperiantur, videlicet abſolutio à pœna, ſolutio pro pœna, diſtributio ſeu applicatio theſauri Eccleſiæ, cuius virtute fit remiſſio pœnæ, controuerſia eſt in quoniam eſſentialiter Indulgentia ex his tribus conſiſtat.

DE INDVLGENTIIS.

9. Relictis aliorum opinionibus, respondemus, præcipuè & essentialiter consistere in absolutione à pœna, adiuncta tamen distributione thesauri, & solutione ex illo pro pœna. Et hæc quidem Indulgentiarum ratio semper fuit eadem, non alia ante Bonifacium VIII. & alia post eundem, vt quidam sunt opinati.
10. Ex quo consequitur, concedere Indulgentias, esse actum iurisdictionis Ecclesiasticæ, qui proprie exerceatur in subditos, & non esse actum ordinis.
11. Nihilominus animabus in purgatorio verè conferri potest Indulgentia, licet Ecclesiasticæ Iurisdictioni subiectæ non sint, quatenus videlicet Indulgentia continet applicationem thesauri, & solutionem pro pœna, quæ etiam ad non subditos se extendunt.
12. Quæ applicatio thesauri & solutio pro pœna defunctorum, etiam dici potest actus Iurisdictionis, & potestas clauium, non quæ exerceatur in subditos, sed quæ exerceatur circa rem communem, hoc est, circa thesaurum Ecclesiæ, ab eo qui habet potestatem illum distribuendi, aliisque communicandi.
13. Differunt itaque Indulgentiæ concessæ viuus & mortuis, non in causa & effectu, sed in modo; cum hæ per modum suffragij, illæ per modum absolutionis; hæ cum auctoritate absoluendo à pœna subditos, illæ sine tali auctoritate concedantur.
14. Pœna æterna per Indulgentias vt tales sunt, nequaquam tollitur, sicut nec culpa peccati, sed tantum pœna temporalis, Deo, culpis iam per alia media sublatis, debita.
15. Quapropter Bullæ pontificum, dum in Iubilæis & aliàs, plenam omnium peccatorum Indulgentiam pollicentur, loquuntur de peccatis quoad pœnam temporalem, respectu cuius nullum crimen tam atrox est, quod Indulgentiarum vi non remittatur, dummodò culpa alio medio sit sublata.
16. Temporalis pœnæ nomine potissimùm intelligimus illam pœnam, quam quis in purgatorio luere deberet pro peccatis admissis: secundariò tamen connotantur etiam illæ pœnæ & afflictiones, quas in hac vita luere oporteret, ad redimendas illas purgatorij pœnas.
17. Cum porro hæc temporalis pœna iudicio diuino peccatis actualibus sit debita, non liberatur quis per Indulgentiam à pœnis, quas debet vel in foro externo ciuili seu politico, vel etiam Ecclesiastico: pœna quoque pro peccato originali debita, non tollitur, sed sicut culpa, ita & pœna remittitur per baptismi Sacramentum.
18. Quod ad thesaurum spectat, cuius in definitione facta est mentio, necessarius is est in Ecclesia, ex quo dentur Indulgentiæ, Nec conceduntur ex sola auctoritate Ecclesiæ, absque vllò communi thesauro, ex quo quasi soluatur precium pro pœnis dimittendis.
19. Thesaurus hic constat ex satisfactoriis operibus, & quidem superabundantibus Christi & Sanctorum. Ex quibus Christi opera abundant & superabundant, cum sit ipse propitiatio pro peccatis totius mundi, & singula eius opera, etiam minima habuerint infinitam vim ad merendum & satisfaciendum.
20. Hoc tamen non obstante, vt charitas inter Ecclesiæ membra magis vigeat, & vt precium quod pro pœna debita exoluitur, omni ex parte abundet, adduntur etiam ad satisfactiones Christi, satisfactiones Sanctorum in eo thesauro.

DE INDVLTENTIIIS.

21. De cuius consumptione seu imminutione non est formidandum, tam propter infinita Christi merita, quàm quod, vt loquitur pontifex Extrauag. *Vnigenitus*, quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad Iustitiam, tantò magis accrescit cumulus meritorum.

22. Non requiritur certa verborum formula in concessione Indulgentiarum, neque in Iubilæis necesse est, sacramentali absolutioni adiungere ista verba: *Et concedo tibi plenariam Indulgentiam*; sed sufficiunt quæcunque verba voluntatem conferendi Indulgentias declarantia.

23. Extare verò auctoritatem in Ecclesia concedendi Indulgentias, non modò fides edocet, verùm etiam id ex Scriptura, ex vsu antiquissimo Ecclesiæ Catholicæ, atque adeo ex eius declaratione, quæ in fidei quæstionibus infallibilis est, haud obscurè constat.

24. Porrò concedere Indulgentias possunt Summus Pontifex, Archiepiscopi, & Episcopi, hoc tamen discrimine, vt id pontifici tanquam vniuersali Ecclesiæ pastor, plenè & perfectè sine vlla limitatione competat ex officio & iure diuino; aliis Episcopis ex officio quidem, sed tantum iure Ecclesiastico, & dependenter à pontifice, à quo illorum potestas restringi ac limitari potest.

25. Conferre easdem quoque possunt Concilia generalia, præsertim sede vacante, dependenter tamen à pontifice præsentem vel futuro. Non verò hoc munus aliis sacerdotibus ex officio permittitur, siue id priuatim fiat, siue publicè. Ex delegatione tamen eas conferre possunt, vt etiam Diaconus, & prima tantum tonsura insignitus, & fortassis etiam Laicus.

26. Religiosorum quoque prælati, dum aliis suorum subditorum bona opera & satisfactiones accommodant, non propriè concedunt Indulgentias de communi Ecclesiæ thesauro, in quem ex officio potestatem non habent. At ex priuilegio eos Indulgentias conferre posse vel suis subditis, vel etiam aliis, extra controuersiam est.

27. Is denique qui ex officio seu ex commissione legitimam potestatem habet concedendi Indulgentias, non impeditur per peccatum mortale, quo minus validè, durante illo peccato, eas conferat; secus iudicandum, si peccatum habeat annexam excommunicationem, aliàmue censuram nominatim alicui inflatam.

28. Porrò ex parte concedentis Indulgentias non modò requiritur auctoritas, & voluntas eas conferendi, sed etiam pia aliqua causa, qua tanquam motiuo inducatur ad eas concedendas, & ex qua fiat, vt distributio Ecclesiæ thesauri, & pœnæ remissio referatur tanquam in finem ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem.

29. Actus is quo pia causa continetur, generatim potest esse quicumque, ex quo aliqua Ecclesiæ utilitas, & gloria diuina redundat, siue is bonus sit ex natura sua, siue bonus sit per relationem ad aliquid aliud, vt ad Dei honorè, ad res sacras, &c. siue is consistat in opere aliquo externo, siue interno: siue sit ab illo ipso, cui datur Indulgentia, siue ab aliquo alio pro illo: siue sit futurus, siue præteritus; siue aliqui debitus ex præcepto, siue non.

30. Quanta verò & qualis debeat esse illa causa pia, diuersa sunt auctorum sententiæ. Nobis ita statuendum videtur; Non oportere, vt ea causa maior sit, quàm

DE INDVLGENTIIS.

ipsa Indulgentia, nec etiam vt æquiualens sit Indulgentiæ, saltem secundum proportionem; sed vt validè conferatur, sufficere quamcunque causam piam: fieri tamen posse, vt qui minima ex causa concedit maximas Indulgentias, ob indiscretionem quandam, & fortassis etiam scandalum, grauiter peccet.

31. Actus isti pij communiter sunt actus exteriores, ad Dei gloriam & honorem, atque Ecclesiæ vtilitatem vergentes, vt visitatio, constructio, instauratio templorum, eleemosynæ largitio, ieiunium, auditio verbi Dei, & similia, quæ mediatè vel immediatè ad spiritualia ordinantur.

32. Actus verò qui non sunt boni saltem moraliter, nec ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ accommodari possunt, nullam rationem causæ piæ ad Indulgentiam habere dignoscuntur. Ac proinde nonnullæ Indulgentiarum formulæ, quæ continent eiusmodi causas, meritò fictitiæ creduntur.

33. Inter pias causas numerari non debent grana benedicta, cruces, imagines, & similia, quæ non ipsa in se pia causa sunt, sed tantum conditio aliquod pium opus efficiendi. Possè tamen pontificem ipsi gestationi grani benedicti, vel Crucis, largiri Indulgentiam, non est dubium.

34. Non etiam datur Indulgentia propter talem causam externam, vel propter temporale aliquod opus, tanquam merces & compensatio illius operis, sed tanquam ob quoddam motiuum, quatenus illud opus ad spirituale aliquod refertur; adeoque simonia hîc locum non habet.

35. Quod ad Indulgentiarum differentiam spectat, duplex ea esse censetur, generatim loquendo; altera, qua remittitur tota pœna, pro omnibus peccatis debita; altera, qua tantum pars pœnæ remittitur. Primi generis conceditur, quando datur Indulgentia plenaria, plenior, aut plenissima, aut Iubilæus. Posterioris generis Indulgentia significari solet variis modis.

36. Nam significatur, quando dicitur concedi Indulgentia de peccatis, quæ quis actu fuerit confessus; deinde quando dicitur concedi de pœnitentiis iniunctis; tertio quando dicitur concedi Indulgentia tot dierum vel annorum, vt 10. 20. &c. Hinc illa vocabula, in hac materia vsitata; Carena, Quadragesima, Septena, &c.

37. Olim inter Doctores fuerunt variæ opiniones de differentia plenariæ, plenioris & plenissimæ Indulgentiæ, sed tamen omnia ista nomina significant vnum & idem genus Indulgentiarum. Iubilæus verò ab istis accidentaliter differt, quod in eo fieri soleat potestas, quemcunque Confessarium eligendi, qui etiam à casibus reseruatis absolueret possit.

38. Quando autem in Bullis dicitur, concedi præter Indulgentiam plenariam, etiam aliquot dies vel quadragenas, &c. additur propterea, vt si fortè causa pro plenaria Indulgentia non fuisset sufficiens (vt non omnis secundum quorundam Doctorum sententiam est sufficiens) saltem illam alteram certius aliquis se consequi posse consideret.

39. At hîc quæstio est, an pontifices tantum dent Indulgentias de pœnitentiis iniunctis, an verò etiam de iniungendis. Ad quam respondemus, nihil esse cur restringantur ad iniunctas tantum, cum ne ipsi Canones, & Pontifices id semper faciant; aut cur auctoritas alioqui amplissima concedendi Indulgentias, non sese etiam ad non iniunctas pœnitentias extenderet?

DE INDVLTENTIIIS.

40. Quando autem pontifex concedit Indulgentias cum additione expressa, De iniunctis pœnitentiis, tunc duntaxat per eas tantum pœnæ redimitur, quantum quis redemisset per pœnitentiam à confessario sibi impositam, & non plus.

41. Probabilitate non caret ea sententia, quæ cum, qui Indulgentiam plenariam lucratur, ab implenda pœnitentia à Confessario imposita liberum pronunciat; nihilominus talem teneri sibi iniunctam implere, multa sunt quæ suadent, idque persuadent, ac proinde hæc sententia ut probabilior, ita & longè tutior.

42. Omnes & soli illi lucrantur Indulgentias, iisque profunt, qui sunt in gratia, & quibus adhuc aliqua pœna soluenda restat, & qui illud opus, quod ad consecutionem Indulgentiæ requiritur, perficiunt.

43. Hinc ad remissionem pœnarum debitarum pro peccatis, Indulgentiæ nequaquam ei profunt, qui est in peccato mortali, & neque validè neque licitè pontifex eas hoc pacto concedere, neque pro alio existente in peccato, aliquis pro eiusmodi pœnis satisfacere potest.

44. Si verò quis aliis vel non baptizatis, vel in peccato mortali, vel iam in gloria existentibus suas satisfactiones applicaret, tunc fructus satisfactionis reuertitur vel ad facientem, vel thesauro Ecclesiæ, sicut alia satisfactoria, coniungitur.

45. Confessio actualis de peccatis, tunc tantum ad consecutionem Indulgentiæ requiritur, quando in Bulla expressè habetur, confessionem intra hebdomadam, &c. faciendam. Si verò absolutè concedatur sine vlla expressione confessionis, non requiritur actualis confessio, sed sufficit esse in gratia; vel si non sit; elicere contritionis actum; quo gratiam acquirat.

46. Ex iis qui gratia sunt ornati, alij viui sunt, alij mortui & in purgatorio existentes. His relaxatur pœna per modum suffragij & spiritualis subsidij; illis per modum remissionis. At existentibus in inferno, qui non sunt capaces vllius suffragij, quibuscum nulla intercedit communio fidei & charitatis, nullam prodesse Indulgentiam censendum est.

47. Minus cautè loquuntur illi, qui effectum Indulgentiæ, quæ defunctis conceditur, ex mera Dei liberalitate pendere arbitrantur, siquidem non tantum quæ viuis, sed etiam quæ defunctis confertur, diuina promissione firmata est, habetque certum & infallibilem effectum ex certa Dei lege & auctoritate.

48. Requiritur etiam ex parte suscipientis, illud opus, quod concedens Indulgentiam determinat, & illud ipsum quod præscribitur, & non aliud, licet longè foret præstantius. Neque etiam voluntas illud faciendi sufficit, neque satis est, ut pars illius operis fiat, pars omittatur, sed integrè, & eo modo quo præscribitur, peragendum est, aut nulla erit Indulgentia.

49. Verùm sicut alia nonnulla præcepta, extra statum gratiæ impleri possunt, sic etiam illa pia actio requisita ad Indulgentiam, cur fiat in gratia, necesse non est; immò obnoxius peccato mortali, etiam alteri in gratia constituto obtinere potest Indulgentias.

50. Sed quid si opus illud eodem die decies quis peragat, an decies consequetur Indulgentias? Ad determinatum quoddam tempus concessa, semel tantum acqui-

DE INDVLGENTIIS.

acquiritur. Concessa verò ipsi operi, abstrahendo à tempore, acquiritur toties, quoties id, quod exigitur, impletur.

51. Ignari quoq; aliquando lucrantur Indulgentias, dummodò inuiti non sint, ac proinde in eiusmodi virtualis saltem requiritur intentio.

52. Cæterùm hæretici non indigent vllis Indulgentiis, quippe qui, vt tales, ad ea loca destinantur, ybi Indulgentia, absolutio & remissio nulla penitus speratur aut conceditur. Hinc damnationem suam iam quodammodo inchoantes, nihil peius oderunt quàm Indulgentiam.

Laus DEO Virginiq; Matri.

Cum facultate Superiorum.